



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

242. De Ecclesiis quæ inter coheredes sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut nullus Presbyterum in Ecclesia mittat vel eiciat. *Ex eisdem Capitularibus, cap. XII.*

Lib. 1. Capitular. c. 147.
Burchard, lib. 3. c. 111.

CCXLI. Ut nullus laicus Presbyterum in Ecclesia mittere vel eicere præsumat, nisi per consensum Episcopi. [*Vide Concilium Viennense sub Formoso cap. 4. & Concilium Engelheimense cap. 4.*]

Ex eodem.

Item interdicendum videtur Clericis sive laicis ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi sui.

Item ex eodem.

Lib. 5. Capitular. c. 43. & Addit. 1 v. c. 72.
Lib. 3. Leg. Longob. tit. 1. c. 43.

De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiciunt, & ab Episcopo vel quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum revvadiare & per fidei iutores ad palatium venire jubeantur; ut tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut illum bannum persolvant, aut aliam armiscaram sustineant.

De Ecclesiis inter coheredes divisis.

Ex eodem.

Lib. 5. Capitular. c. 44.
Lib. 3. Leg. Longob. tit. 1. c. 44.
Burchard, lib. 3. c. 41.

CCXLII. De Ecclesiis quæ inter coheredes sunt divisæ considerandum est quatinus si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere & honorare, faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Episcopi potestate maneat utrum eas

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 119
ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat.

De eadem re. *Ex Concilio Triburienfi.*

Si plures heredes contenderint de communi Ecclesia, auferri jubeat Episcopus reliquias sacras & Ecclesiam claudi, donec communi consensu statuatur ibi Presbyterum & unde vivat.

Concil. Tri-
bur. c. 32.
Burchard. lib.
3. c. 40.

Ut in Ecclesia una non plures Presbyteri constituentur. *Ex Concilio Remensi*
cap. VIII.

CCXLIII. Unusquisque Presbyter Ecclesia una, ubi ordinatus est, contentus sit, & nullus in duabus Ecclesiis ministrare præsumat. [*Caput istud additum est ex codice manuscripto. Non extat enim in editione Helmaestadiensi. Vide lib. 6. Capitular. c. 73. & Addit. II. cap. 8.]*

Burchard. lib.
3. c. 44.

Ex Concilio quo supra.

Sicut in unaquaque Ecclesia Presbyter debet esse, ita ipsa Ecclesia, quæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures Presbyteros; sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam castè & sinceriter regat. Unde interdicimus ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures dividere: quia Ecclesia Christi uxor & sponsa debet esse, non scortum, sicut Calixtus Papa testatur. [*Vide* 7. q. 1. c. 39. *Addit. III. Capitular. cap. 25.]*

Burchard. lib.
3. c. 45.